



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CII. Argumentum. Exponitur: Quid sit Eutrapelia? Quotuplex?
Quando sit Virtus? Quando Vitium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

haberi autorem damnorum, quæ ex his donationibus superfluis & non necessariis resultant iisdem creditoribus; quibus propterea restitutio est facienda in utroque foro; & ita videtur concludere etiam F. Cassian. à S. Elia in suis *Centum Hist. decis. 30.* in qua proponit punctualiter hunc casum; sed in ejus resolutione loquitur confuse, modo asserendo, modo negando, sed Concubinam obligat ad restitutionem num. 9. & 10. ex Jurib. allegatis *decis. 29. à num. 42. usque 45.* quibus probat, Patrem debitis involutum inutiliter constituere dotem filie suæ in præjudicium creditorum, unde eo magis inutiles debent esse donationes factæ Concubinæ.

Mirabile, sed non imitabile est id, quod de S. Vitalio Gazæ Abbate scribit P. Hieronymus à Basilica Petri in *Ephemerid. Sacris Die 11. Januar.* nempe quomodo retrahere satageret Meretrices à peccatis: ait enim, *che andò alla Città d' Alessandria, e presa à pigione una stanza, in quella nel giorno s' affaticava à lavorare stuoire, sportelle, & altre cosarelle, che egli sapeva galantemente fabbricare. Quando era l' ora di Vespri usciva à vendere quelle, che fatto aveva; del prezzo ne comperava un poco di lupini ammollati: i quali erano tutto il suo cibo ordinario. Tutto ciò andava alla Casa di una delle notate Donne da partito: con la quale patteggiava di dare tanti denari purchè quella notte stasse à sua disposizione. Sborzato il denaro, la peccatrice si corcava a letto; & il servo di Dio in un cantocino della camera si poneva in ginocchio ad orare, à recitare Salmi, & à fare genuflessioni, & adorazioni à Dio, à cui tutto offeriva in compensa delle offese fattegli da colei; e per impervarle emendazione in avvenire. Sotta l' aurora si faceva con giuramento promettere di non parlare ad alcuno quel, che fatto aveva, & esortava colei à lasciare l' amala vita ritornava al suo lavoro, e così di giorno, e di notte suo che visse. Actio admiranda: non imitanda sine certa Dei inspiratione.*

Modò explicandus venit sequens casus frequentissimus in praxi. Satellitum, ac Exploratorum, Confessiones Parochus audit. Accusant isti se in suo ministerio infidos esse Judicibus, accipiendo à delinquentibus pecuniam. Queritur, an sint obnoxii restitutioni?

Studiores in resolutione præsentis dubitationis ad decidendum ritè, & rectè, an Satellites, & Exploratores infidi obligati sint ad restitutionem, distinxerunt quatuor capita.

Primum est, de restitutione mercedis, quam à Principe, seu à Judice recipiunt, ut officium accusandi, seu capiendi reos, & transgressores legum agant. Et certum est eos teneri restituere pro rata infidelitatum committarum, siquidem ex pacto, & conventionione obligarunt se cum Principe, & Judicibus officium suum fideliter exercere. Bonacina tom. 2. *Circa Octavum Decalog. Præceptum. disput. 10. quæst. 3. punct. 1. numer. 7.* Ideo cum deficiant in servitio, non possunt retinere salarium, sicut de famulo agrotante docent DD. & Navar. *cap. 17. num. 108.*

Secundum est, an debeant restituere damna, quæ vel communitati, vel privatis personis obveniunt, ob sui officii omissionem? Et absque hesitatione teneri omnes DD. clamant, quia peccant contra justitiam, ad quam obligantur ex officio. Bonacina d. punct. 1. num. 7. Layman. lib. 3. tract. 2. cap. 5. num. 7. Vers. secundo, & tertio. Tamburin. in *Decal. lib. 8. cap. 2. s. 6.*

num. 12. Eminentiss. Cardin. de Lugo tom. 1. de *Justit. & Jur. disput. 19. num. 99. & tom. 2. disput. 37. sect. 9.*

Tertium est, an teneantur restituere Judici, vel Fisco poenam, seu multam, quæ ex condemnatione reorum ei provenisset, si Satellites in capiendo, & Exploratores in denunciando fidi fuissent? & circa hanc restitutionem discordes sunt DD. quos allegant Bonacina d. *disput. 10. quæst. 3. punct. 1. circa Octavum Præceptum num. 8.* Layman. d. *cap. 5. num. 7. Vers. Tertio.* Tamburin. d. *s. 6. num. 12.* & Cotton. in *summa Dianæ Verb. Restituere num. 19.* quibus magis placeat opinio negativa; ea ratione quia officiales prædicti non sunt deputati ad ditandum Fiscum, vel Judices, sed ad reos compescendos, quod approbat Diana *par. 3. tract. 6. resol. 35.* Quæ legitur in *Coordinato tom. 6. tr. 1. res. 107.*

Quartum denique caput versatur circa restitutionem pecuniarum, quas à reis, seu delinquentibus receperunt, ne accularentur, & pariter circa illas communior est opinio non esse adstringendos ad restitutionem, ea præcipua ratione, quia censentur dono data; & donatio quamvis ob rem turpem valet, & tenet Layman. *dict. lib. 3. tractat. 2. cap. 5. num. 8. in fin. & eodem. lib. 3. tract. 4. cap. 4. num. 8. Vers. Denique.* & Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. disput. 19. num. 103.* ubi tamen limitat, quando data pecunia à reis esset in pretium silentii ob malum committendum, quo casu Exploratores, & Satellites debent restituere dictam pecuniam, & protestari, se velle exercere officium suum, ne peccent lethaliter, & ne se obstringant restitutioni damnorum à delinquentibus prædictis inferendorum F. Cassian. à S. Elia in *centum Hist. decis. 46.* ubi suo more satis confuse, & modò ad dexteram, modò ad sinistram flectit.

D E C I S I O C I I .

A R G U M E N T U M .

Exponitur: Quid sit Eutrapelia? Quotuplex? Quando sit Virtus? Quando Vitium?

S U M M A R I U M .

1. Eutrapelia quid sit?
2. Quotuplex?
3. Quando sit Virtuosus, vel Vitiosus?
4. Exempla Eutrapelia à Sacra Scriptura, & SS. Patribus.

Dixere. Eutrapeliam Græcè significare Latine bonam conversationem, idest Urbanitatem, convertendo dicta vel facta jocosa ad animi oblectamentum. Ideo Eutrapelia est *Habitus* quidam inclinans ad quadam faciem, & jucunda juxta regulam rationis ad relaxandum animum Aristot. 4. *Ethic. 8. S. Thom. 2. 2. quæst. 168.* Eminentiss. Cardin. de Laurea tom. 2. De *Virtut. in genere disput. 31. art. 7. num. 355.*

Est autem duplex Eutrapelia: Una qua consistit in verbis jucundis, & cum salibus prolatis; Altera in factis facietis. Unde Valla aiebat, Eutrapeliam esse *jocum in dictis, & ludum in factis.* Et de utraque plura referuntur exempla tum Sacra Scriptura, tum SS. Patrum ab eodem, Eminentiss. Cardin. de Laurea *dict. art. 7. à num. 361. & seqq.* unde illi Verfus.

*Rumpitur interdum, nimium qui tenditur, arcus.
Quod caret alterna requie, durabile non est.*
Eus

Eutrapelia tunc est *Virtus*, quando servat mediocritatem in dictis, & factis ludicris, ac iurandis. Est autem Vitium, quando declinat ad excessum, vel ad defectum. Siquidem in dictis, seu factis facitis vel est mediocritas, vel superabundantia, vel deficientia. Mediocris vocatur *Eutrapelus*, Superabundans *Stomolochus*, deficiens *Agrestis*. Mediocritas consistit in loco, tempore, & mensura, ideò Urbanitas verborum, aut factorum requirit, ut sit tempus proprium, locus conveniens, & ne homo sit profusus, multiloquus, obscenus, scurrilis, aut iniuriolosus. Superabundare est vitium, sicut etiam deficere, ob nimiam animi duritiem, & asperitatem, ut demonstrant Arist. d. lib. 4. *Ethic. cap. 8.* & ibi P. Sylvest. Maur. in *Comm. S. Thom. dict. quass. 168. Lessius lib. 4. cap. 4. dub. 8. num. 68.* & dub. 13. à num. 93. & seqq. Layman. lib. 3. sect. 4. num. 26. Eman. Thel. in *Philos. Mor. lib. 13.* Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. rom. 2. *disput. 31. art. 7. num. 387. 388. 389.* Exempla Eutrapeliaz qui videre cupit tam à Scriptura Sacra, quam ex SS. Patribus, legat eundem Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. art. 7.

DE C I S I O CIII.

ARGUMENTUM.

Breviter, sed clare traditur obligatio restituendi fructus tam bonæ, quam malæ fidei possessoris.

S U M M A R I U M.

1. Fructus in quoruplici sint differentia?
2. Fructuum in restitutione bona fides vel mala attendenda.
3. Possessor mala fidei restituit omnes fructus.
4. Damnum emergens, ac lucrum cessans restituitur à mala fidei possessore.
5. Fructus etiam non perceptos restituit Possessor mala fidei.
6. Possessor mala fidei quando non restituit fructus?
7. Expensa in colligendis fructibus retinetur à mala fidei possessore.
8. Bona fidei possessor quos fructus restituat?
9. Fructus non restituendi à bona fidei possessore qui sint?
10. Expensa in cultura agri retinenda à possessore bona fidei.
11. Causæ quæ sunt excusantes à restitutione fructuum?

Nunc declarandum venit: An prater rem sint restituendi etiam fructus? Præmittenda duo. Unum, quod fructus alii sint *Naturales tantum*, ut partus ancillæ, pullus ex equa, herba ex campo Sylvestri: alii merè *Industriales*, ut lucrum ex negotiatione alterius pecuniæ: & alii *mixti*, qui proveniunt partim à natura, partim ab industria hominis, ut frumentum, & fructus, qui colliguntur ex agris, & comprehenduntur sub hoc nomine etiam fructus civiles, quales sunt Pensiones damnorum, vel animalium, quæ locantur. Sanchez lib. 2. in *Dec. cap. 23. num. 48.* Molina de *Iustit. & Jur. rom. 3. disput. 725.* Thom. Tamburin. lib. 8. in *Dec. tract. 3. §. 7. num. 22.* & Eminentiss. Cardin. de Lugo de *Iustit. tom. 1. disput. 17. num. 38.* Præmissum secundum est quod illi, quibus incumbit onus restituendi, vel sint Possessores bonæ fidei, quia hucusque crediderant, se esse veros, & legitimos dominos

rei alienæ per eos possessæ: vel sint Possessores malæ fidei, qui scientiam habebant vel omnino certam, vel valde dubiam, quod res per ipsos possessa, sit aliena; & de utroque dictum fuit abunde supra *Decis. XC.*

His prænotatis dantur sequentes regulæ, ampliationes, & limitationes.

DE POSSESSORE MALÆ FIDEI.

Malæ fidei possessor debet restituere Domino rei injustè ablata, vel injustè retenta, vel etiam injustè destructa tum fructus naturales, tum mixtos, quos habuit ex re ipsa. Sanchez d. lib. 2. in *Dec. cap. 23. num. 97.* Layman. lib. 3. *tract. 2. cap. 4. num. 1. & seqq.* Tamburin. d. lib. 8. in *Dec. tract. 3. cap. 2. §. 7. num. 22.* Eminent. Cardin. de Lugo d. *disput. 17. num. 53.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa tom. 2. de *Virt. in gen. disput. 23. num. 138.*

Ampliatum primò hæc regula, ut procedat, etiamsi res apud Dominum tantos fructus non fecisset. Sanchez d. cap. 23. num. 130. Tambur. dict. cap. 2. §. 7. num. 23. Bonacin. rom. 2. de *Rest. in gen. disput. 1. quass. 3. punct. ult. §. 2. num. 2.*

Ampliatum secundò. Etiam si dicti fructus quomodocunque sint consumpti, & ex eis Possessor malæ fidei ditior non fuisset factus; imò ex ejus industria, & cum suis expensis res fuisset meliorata ad tantos fructus reddendos; & ratio est, quia res semper suo Domino fructificat. Bonacin. d. §. 2. num. 4.

Ampliatum tertio. Ut quamvis malæ fidei Possessor non teneatur restituere fructus merè industriales, puta lucrum ex negotiatione pecuniæ alienæ; tamen debeat restituere Domino illius pecuniæ totum damnum emergens, & lucrum cessans, quod ipse Dominus percepisset ex dicta pecunia ex industria sua. Tambur. d. §. 7. num. 24. Layman. lib. 3. *tract. 2. cap. 4. num. 7.*

Ampliatum quartò. Possessorem malæ fidei restituere debere etiam fructus, quos non percepit è re aliena, sed illos Dominus percepisset, si rem suam habuisset. Tamburin. dict. §. 6. num. 25. Ubi Doctores, & Bonacin. dict. §. 2. num. 6.

Ampliatum quinto; etiam illos fructus, quos Dominus habuisset, dando rem suam ad usum illicitos, Tamburin. *ibidem* num. 26. ubi exemplificat de domo locata ad ludos, vel ad meretricandum.

Limitatur modò supradicta Regula; 1. Quod Possessor malæ fidei non teneatur restituere fructus casu fortuito, & absque sua culpa consumptos, puta ex incendio, tempestate, furto. Tamburin. d. §. 7. num. 23. Secundò neque illos fructus, quos ipse Possessor malæ fidei non percepit, licet potuisset percipere, quando tamen neque Dominus fuisset illos percepturus; ut si agrum incultum reliquisset, quem neque Dominus erat culturus. Sanchez dict. lib. 2. in *Decal. cap. 23. num. 118.* Tertiò limitatur regula restitutionis quoad expensas factas, & laborem impensum ab ipso malæ fidei Possessore in cultura rei pro habendis fructibus; potest enim & expensas, & laboris preterium deducere, quia utrumque cuilibet extraneo Dominus esset obligatus reficere. Tamburin. d. lib. 8. in *Decal. tract. 3. cap. 5. §. 2. num. 11.* Eminentiss. Card. de Lugo d. *disput. 17. num. 61.* Sanchez d. lib. 2. cap. 23. num. 137.